

haec planta adnumeranda sit; calyx enim non exacte imbricatus Hieracii inter hunc et calycem calyculatum medium quasi tenet, sed pappus plumosus, licet stipitatus sit, Picridibus potius quam Hieraciis plantam nostram adnumerare suadet. — A Picride hieracioide praeter hispeditatem, quae in nostra superficiem totius plantae occupat, in illa autem praecipue versus basin caulis observatur, pedunculis hispидissimis, squamis destitutis, calycibusque valde hispидis diversa.

44. *Crepis graminifolia*.

C. tota glabra, caule subramoso paucifloro, foliis omnibus linearibus integerrimis, floribus cernuis, calyce exteriori minutissimo.

Planta pusilla glabra.

Radix crassa, perpendicularis, multiceps.

Caules erecti, subramosi; ramis axillaribus, inferioribus subinde bi- vel trifloris, superioribus semper unifloris; foliosi, vel simplicissimi, uniflori, aphylli.

Folia omnia lineari-filiformia, longitudine varia.

Pedunculi plerumque non longe infra florum squamula instructi.

Flores erecti.

Anthodium squamis exterioribus brevissimis, ovatis, acutis, patulis; interioribus linearibus, acutis, exterioribus multoties longioribus.

Corollulae pallide luteae, anthodio duplo fere longiores, apice truncatae, quinquedentatae.

Pappus pilosus, sessilis.

Hab. in Sibiria orientali inter urbes Jacutiam et Ochotiam, 2?

45. *Crepis baicalensis*.

C. caule erecto stricto foliisque glaberrimis, radicalibus petiolatis integris pinnatifidisve, ramis fastigiatis, floribus racemosis, calycibus nigricantibus albo-pilosis.

Caulis erectus, strictus, glaberrimus, superne flexuosus, ramosus; ramis axillaribus, alternis, fastigiatis.

Folia glaberrima; radicalia circumscriptione oblonga vel oblongo-ovata, in petiolum folii longitudine vel eo longiorem desinentia, integra, basin versus subinde dentata, vel profunde ad costam mediam fere pinnatifida, laciniis linearibus, integerrimis; caulina inferiora radicalibus simillima; superiora integra, linearia, inferiorum fere longitudine; ramea minutata; summa setacea.

Flores in caule ramisque racemosi, erecti.